



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 16. Joannes Franciscus Ginettus Cardinalis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII. tur non modo Rectoris, sed maxime  
A. C. 1691. optimi Parentis nomen sibi a singulis  
 conciliaverat, post quinquenni labores  
 publicos ad Ecclesiam suam Auxima-  
 nam rediit; quam indefessa vigilantia  
 usque ad obitus sui diem primam Fe-  
 bruarii rexerat: Annum agebat ætatis  
 suæ septuagesimum septimum. Scripse-  
 rat præclaras, utilesque constitutiones  
 pro Diæcesi Auximana præter mystica  
 opuscula, orationes atque epistolas.

## §. XVI.

*Joannes Franciscus Ginettus Car-  
 dinalis mortuus.*

*Palat. fast.  
 Card. l. 5.*

Quo die hoc anno Joannes Franciscus  
 Ginettus naturæ debitum solverit,  
 certo haud constat: Hic Veliræ anno  
 Christi millesimo sexcentesimo vigesimo  
 sexto natus, a Martio Ginetto Car-  
 dinale Patruo suo Romam evocatus, in  
 pietatis exercitiis, ac scientiis uberri-  
 me enutritus erat: quapropter ab Ale-  
 xandro VII. Cameræ Clericus, & postea  
 Pontificii ærarii Præfectus nominaba-  
 tur: demum ab Innocentio XI. æquif-  
 fimo meritorum Judice ob integritatem,  
 aliasque præclaras virtutes Sacra Pur-  
 pura, & Firmano Archiepiscopatu ho-  
 noratus est: ubi etiam anno ætatis suæ  
 sexagesimo quinto vivis valedixit, læ-  
 boris

boris sui præmium in cælis præstolaturus.

Sæc. XVII.

A. C. 1691.

§. XVII.

*Raymundi Capisucchi Cardinalis  
fata.*

Purpuratis hoc anno denatis adjungimus Raimundum Capisucchium, qui ex pervetusta Romana Familia Romæ natus, atque in Sacro fonte Camillus dictus, pietatem, optimamque indolem a suis parentibus hausit: Literis autem humanioribus cum maximo profectu instructus anno ætatis suæ decimo quarto Ordinis FF. Prædicatorum habitum obtento nomine Raymundi induit, evolutoque anno professionem Romæ emisit, ætatis veniam concedente Urbano VIII. Studiorum ibidem cursu emenso, per plures annos cunctis scholæ officiis functus, tandem Theologiæ Magister creabatur: Postea Vincentii Candidi Magistri S. Palatii Socius primo adscitus, tum ab Innocentio X. Indicis Secretarius, Episcoporum examinatus, ac demum sacri Palatii Magister renuntiabatur, incertum relinquens, an plus ornamenti ab hisce dignitatibus acceperit, quam ob sua merita eis reddiderit: Erat enim eruditione ac doctrina præstantissimus, inge-

*Mandos. in*

*Bibl. tom.*

*Palat. fast.*

*Card. t. 4.*

*Baron apol,*

*t. 2. l. 5.*